

Joachim Schnobel

## **Programma In Natalem Servatoris Nostri Jesu Christi**

Rostochii: Kilius, 1648

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734824548>

Druck Freier  Zugang



R.U. Progr. 1648

1) Johann Quistorp

2) Heinr. Rahne

3) "

4) "

5) Joach Schnobel





PROGRAMMA

IN

NATALEM  
SERVATORIS  
NOSTRI

IESU CHRISTI,  
Propositum

RECTORE ACADEMIÆ  
JOACHIMO SCHNOBELIO,  
J. U. D. & Professore.



ROSTOCHII,  
*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*

*ANNO M. DC. XLVIII.*

**D**um Annus cum sole Novo recen-  
tatur, Magnum illud assumptionis huma-  
næ naturæ in unitatem personæ filii Dei  
factæ, & insecutæ ejus Nativitatis Myste-  
rium nobis denuò recolendum in Ecclē-  
siâ proponitur, in quo nihil non admirandum, omnia  
lætitiâ plena, amore & præconio dignissima. Quod  
enim Virgo viri penitus ac libidinis omnis nescia cor-  
pore & mente castissima sine virili semine conceperit,  
uterum gesserit, infantem pepererit, miratur omne se-  
culum, & soli divinæ virtuti, cujus immensa & infinita  
est potentia, adscribit. Miraculosas quidem natiuitates  
Theologia Gentilis narrat, dum Gigantes è terra, Pal-  
ladem è cerebro Jovis sine matre, Vulcanum à Junone  
sine patre, Venerem è spumâ maris editam esse canit.  
Sed utut illæ mysticam fortè habeant interpretatio-  
nem, re ipsa tamen fabulæ sunt & nugæ. Filium verò Dei  
in utero Virginis conceptum ac hominem factum, non  
solum multis antè seculis divinitus edita vaticinia te-  
stantur, sed missus à Jehova nuncius cœlestis ad virgi-  
nem ipsam sine viro matrem futuram, ubi partum  
hunc & modum illi exposuisset, confirmavit. Cum  
Rex Judæorum Achazus, duobus Regibus Syrorum  
scilicet, & Israelitarum cum ingenti exercitu contra ipsum  
tendentibus, & extrema regno Judæe minitantibus, ma-  
ximè consternatus, & unâ cum ipso populus expavefa-  
ctus, ac ad erigendum animum Regis Propheta Esaias  
missus esset, hic non solum irritum hostium conatum  
prædicendo eum est solatus, sed ut tantò majorem fi-  
dem

dem dictis faceret, hoc ad bene de auxilio divino & conservatione populi Judaici, ex quo CHRISTUS noster longè post nasciturus esset, sperandum quasi signum sustulit, fore, ut VIRGO prægnaus fieret, & filium pareret nomine Immanuelis nuncupandum. Non vulgare & usitatum quid, quo adolescentula virum passa parit, sed miraculosum & inauditum Prophetam dicere voluisse priora ipsius verba, quibus Regem compellavit, ut signum aliquod à Jehova Deo suo sibi peteret sive infra sive desuper edendum, satis demonstrant. Annon enim omne signum, quo Deus vel erigi vel percelli mentes humanas voluit, insolitum fuit & inauditum? Ita Ægyptum signis h. e. prodigiis per Mosen editis attonitam reddidit; Ezechiam signo retrogradi solis motus à mærore revocavit; Gideonem signo roris diversimodè modò in solum vellus, modò vellere sicco manente in terram cadentis ad fortitudinem animavit; Baalitarum vanissimam idololatriam signo ignis cælitùs delapsi victimam Helix aqua madefactam & aquã ipsam circa altare diffusam ocysimè consumentis confutavit. Quo sensu & Judæi Capernaitæ ad Christum, quod, inquiunt, tute ad exemplum Mosis Manna è cælo pluere facientis edis signum, cujus conspectu commoti in te credamus? innuentes signum hujusmodi aliquid insigne antea non auditum nec visum esse debere. Quod si igitur Virgo prægnaus & filium pariens signum futurum erat, eandem non servato ordine naturæ, claustris pudoris integris absq; copula carnis, præsertim primâ promissione Jehovæ pro-

protoplastis de semine non viri sed mulieris caput ser-  
pentis contrituro facta suffragante, peperisse, firma &  
devota fide est credendum.

Ita quidem Virgo Mater facta magna pars est miracu-  
lorum, quæ in hac nativitate concurrunt: sed illius quæ  
peperit, Nativitas omnem admirationis quasi termi-  
num excedit. Ecce enim, qui summa cœli templa soni-  
tu terribili concutit, potentiâ tremendus, carnis hu-  
manæ infirmitatem assumit illamq; sibi induit: cujus  
manus cœlum, quoquo versus patet, velut pellem ex-  
tenderunt, astrorum multitudine & splendore exorna-  
runt, terræ molem vastissimam ad maris profundita-  
tem fundarunt & quicquid in eâ montium, arborum,  
animaliū vides, ex nihilo crearunt, opifex naturæ uni-  
versæ admirandus creaturæ sortem miseram & cala-  
mitosam subit: cujus cœlum thronus est & terra pedum  
ejus scabellum, cujus nutui quicquid est in utroq; as-  
surgit & famulatur, ad cujus faciem purissimæ mentes  
Angelicæ oculos demittunt, alis suis obvelant, proni  
procumbunt, splendor ille gloriæ divinæ & character  
ejus substantiæ ex ineffabili fastigio majestatis suæ in-  
abjectam servi vilissimi paupertatem sese demittit,  
ut nihil quod placere posset, visendum in ipso appa-  
reat. Qui temporis exors erat, in tempore nascitur, &  
filius Dei immensi ipse immensus, incomprehensibi-  
lis, infinitus, amore erga genus humanum, ut perditum  
illud redimeret, incredibili ardens tenellus puer na-  
scitur, ac filius hominis factus fasciis involvitur, in sta-  
bulo ac præsepi reponitur. O profunditatem divitia-  
rum

rum sapientiæ & cognitionis divinæ! ô admirabile commercium & conjunctionem! Hoc scilicet est illud novum, quod se facturum Jehova jam olim promiserat, ad quod vetera non secus, ac jubare solis ex oriente sidera, obscurarentur. Ruminare & enarrare vobiscum omnia, quæ unquam contigerunt, miracula: Undam in sanguinem conversam, mare diffugiens & aquarumq; montes in eo aggestos, manna de cælo lapsum, amnem è petra manantem, virgam Aaronis germinantem, Jordanem divisum & alveum ejus pro transitu exsiccatum, mœnia Jerichuntis ad solum tubarum clangorem collapsa, solis Lunæq; motum ad jussum Josuæ quasi sufflaminatum, & si quæ alia in sacro Codice continentur & cum stupore leguntur, videbitis illa multis modis ab hoc superari, quod filius Dei immensus factus sit filius hominis, ita ut tota plenitudo divinitatis corporaliter in ipso habitet, & Virginis filius, Puer ille nobis natus in cunis vagiens vilibus pannis obvolutus filius sit altissimi, J E H O V A in secula benedictus. O miraculum adorandum! Hoc ipsi Angeli contemplantes obstupescunt, nedum humana ratio in idem defixa hæreat: quæ quamvis mare vastissimum digitali infusum cogitet, quod tamen cogitare planè absolum est, nulla tenus magnitudinem illius assequeretur. Quantò minus verò animus hic vallet rimando, tantò magis id veneretur credendo, & quod supra captum suum sibi boni accidisse intelligit, id tantò majori devotione celebret ac extollat. Beneficia magna magnum quoq; & ardens merentur gaudium:



dium: quod si friget, in ingratos potius quam veros eorum æstimatores incidisse dixeris.

Si quis hodie Germanorum, postquam funestissimo & pestifero illi bello per 30. annos gesto finis impositus, & Jani clausum, Pacis aureæ verò templū per Dei gratiam denuò reſeratum eſt, non toto pectore lætaretur, annon ab omni humanitate averſus, ſtupidus & potius Bellonæ ferrea aut Hyrcanā tigride edita fera proles, quàm homo, iſq; Germanus vel Chriſtianus dicendus & abominandus eſſet? Tantis enim votis, tot gemitibus, ſuſpiriis, precibus tamdiu expetita, & nunc (quod benè vertat) compoſita cujus mentem non afficeret, cum ejus dulcedine non ſolūm illi, quibus natura ſenſum dedit, ſed & agri, nemora teſta & parietes lætari & cum tripudio exultare videantur? Quod ſi igitur de pace terrena (quam tamen aliquis invidiæ aut ambitionis afflatus facilè infeſtare & diſcutere, internæ quoq; ſimultatis ſpurcicies ſœdare & ingratham reddere ſolet) tanquam bono longè maximo gaudemus; quanto majorem lætandi cauſam præbebit Pax illa ſpiritualis, quæ caſibus omnibus & adverſitatibus excelfior & nulli obnoxia mutationi velut in rupe quadam immotos conſervat & perpetuò delectat? Hæc verò eſt, quam filius Dei nſcendo, & ſic patrem cæleſtem ob peccata noſtra nobis iratum ac pœnas infernales toti noſtro generi minantem placando nobis attulit. Olim peccata noſtra nos à Deo diſterminabant: Adamus angulum, ubi lateret, anxie, ſed fruſtra, quærebat; Iſraëlitæ vocem Dei terribilem audire non poterant: imò

è pa-

ê paradiso ejecti tenebris flammisq; æternis desti-  
nati eramus. Nunc verò per Nativitatem hanc miracu-  
losam sic Deo conjungimur, ut in filium incarnatum  
credentes filii Dei & æternæ gloriæ heredes evadamus:  
nunc filius Dei factus nostra caro, noster Immanuel, est  
Deus in nobis, cum nobis, inter nos, & propter nos,  
adeoq; totus nobis natus & datus, nos suos amicos vo-  
cat, blandè ad se invitat, & delicias suas inter homines  
habet. Pax nobis cum Deo nunc est plenissima, recon-  
ciliatio perfectissima, benevolentia certissima & imota.  
Quis enim à Deo nos jam separabit, quos Deus ipse Ho-  
mo & frater noster factus sibi conjunxit? quis accusa-  
bit, quorum causam Deus ipse agit, quibus justitiam  
suam impertit, quos velut oculi sui pupillam velut  
sponsus sponsam, aut pastor fidelis oviculam custodit  
& defendit? Quis deniq; peccatum, afflictio, mors, in-  
fernus ullâ ratione nos turbare aut de mente solidâ ac  
tranquilla deicere possent, cum Deum nunc habea-  
mus propitium, peccatores recipientem, afflictos ma-  
tris instar solantem, vitam & regnum cœleste nobis  
sanctè promittentem? GAUDETE, ô mei, in Domino  
hoc Servatore nostro semper, & iterum cum Apostolo  
dico, GAUDETE, curas procul abiicite, nihil metui-  
te, quia nobis adest IMMANUEL. Cogitate vocem  
Angelicam, quâ nato Christo GAUDIUM MA-  
GNUM universo orbi partum esse Pastoribus nun-  
ciatur. Exurgat anima quævis Deo dicata: magnificet  
Dominum & in Deo salutis suæ datore unico exultet.  
Canamus cum Ecclesiâ: *Grates nunc omnes reddamus*

*Domi-*

*Domino Deo, qui suâ nativitate nos liberavit de diabolica  
potestate. Huic oportet ut canamus cum Angelis: GLORIA  
IN EXCELSIS DE O Patri, Filio & Spiritui Sancto.  
Nunc est salus, & potentia & regnum Dei nostri, & po-  
testas Christi ejus, HALLELUIA!*

Gaudio jungamus & preces:

*Sancte Puer salve: tibi candida solvimus ora,*

*Sancte, velis populo dexter adesse tuo.*

*CHRISTE puer, per quem praeclusaq; janua lethi,*

*Inq; domos superas rursus aperta via est.*

*Da veniam nostro sceleri, peccasse fatemur,*

*Sis miseris praesens auxiliumq; feras.*

*Pelle lucem, famemq; procul, da pectore casto*

*Vivere per tempus, quod datur, omne tibi.*

*Pax maneat, lenisq; quies, cessentq; tumultus*

*Martis, & in nostro desinat orbe furor.*

*Hanc vertente tibi semper celebremus ut anno,*

*Pondere curarum non remorante, diem.*

Hæc & similia vobis, Cives Academici, hoc festo medi-  
tanda, hoc agendum. Cui studio & devotioni ut impri-  
mis Studiosi juvenes hisce feriis sint addicti, & à profa-  
nâ luxuriâ, ineptiis ac impietate sibi caveant, & absti-  
neant, eos seriò moneo & obtestor. P.P. Rostochij  
XXV. Decemb. Anno ∞ Ioc XLVIII, cujus exitum  
& instantis Novi anni ingressum omnibus piis  
& fidelibus faustum & felicem sedulo

precor.








ẽ paradiso ejeti tenebris flammam  
nati eramus. Nunc verò per Nati-  
losam sic Deo jungimur, ut  
credentes filii Dei & æternæ glori-  
nunc filius Dei factus nostra caro  
Deus in nobis, cum nobis, inter  
adeoq; totus nobis natus & datus  
cat, blandè ad se invitat, & delicias  
habet. Pax nobis cum Deo nunc  
ciliatio perfectissima, benevolen-  
Quis enim à Deo nos jam separabi-  
mo & frater noster factus sibi co-  
bit, quorum causam Deus ipse assu-  
suam impertit, quos velut oculi  
sponsus sponsam, aut pastor fide-  
& defendit? Quis deniq; peccatu-  
ferus ullâ ratione nos turbare aut  
tranquilla deicere possent, cum  
mus propitium, peccatores reci-  
tris instar solantem, vitam & i-  
sanctè promittentem? GAUDETE  
hoc Servatore nostro semper, & i-  
dico, GAUDETE, curas procul-  
te, quia nobis adest I M M A N U  
Angelicam, quâ nato Christo  
GNUM universo orbi partum-  
ciatur. Exurgat anima quæ visum  
Dominum & in Deo salutis suæ  
Canamus cum Ecclesiâ: *Grates*

ernis desti-  
anc miracu-  
incarnatum  
evadamus;  
manuel, est  
propter nos,  
amicos vo-  
er homines  
ima, recon-  
ma & imota.  
eus ipse Ho-  
quis accusa-  
s justitiam.  
llam velut  
am custodit  
o, mors, in-  
te solidâ ac  
unc habea-  
afflictos ma-  
eleste nobis  
in Domino  
n Apосто-  
nihil metui-  
tate vocem  
UM MA-  
oribus nun-  
magnificet  
ico exulter.  
es reddamus  
Domi-



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.